

GEORGIVS ABBAS ANHUSIANVS.



Georgius ex nobili familia Dapiferorum de Vuetzhausen natus, à pueris operā literis dedit, & mediocrem sibi eruditionem comparauit. Is cum adoleuisset, anno 1490 Hierosolymam peregrinatus est, ut Domini sepulchrum inuiseret, & loca sacra attrectaret. Postea domum reuersus ob pietas amorem Anhusium monasterium intravit, atq; Benedictinorum ordinem suscepit. fundatum erat illud ab Ernesto comite de alto Truhendingen, eiusq; sororio Hartmanno barone de Lodenburg, anno 958. Situm est autem in Marchionatu Brandenburgensi Norico, ad Vuernicum amnem Aureaten sis dioceſeos. Primo quidem in eo loco erant Præpositi designati, uerū circa annū 1100 Marquardus primus in eo Abbas constitutus. Cum itaq; Georgius in eo cœnobio per aliquot annos modestè uiuisset, statim anno 1499 uicesimus abbas designatus est. eam functionem is magna animi moderatione suscepit, atq; monasterium ruinas minitans egregie restaurauit. In suæ etiam profectionis memoriā condidit in choro templi Anhusensis Dominicum sepulchrum anno 1521, & in marmoreo monumento pieti inhærente significauit. Cum autem anno 1530 in Marchionatu Brandenburgensi religio mutaretur, ipse monasterium reliquit, & Aychstadium concessit. In eo loco anno 1548 ueneranda canitie conspicuus etiamnum uixit, & Mauritio episcopo ob multas animi & corporis uirtutes gratissimus fuit. Cas. Brusch. in Monast. Germaniæ.